Epistola 174. IOHANNI COCCEJO IOHANNES BUXTORFIUS.

Epistola 175. IOHANNI COCCEJO FRANCISCUS KÖNE.

Salutem cum prosperis anni huius auspicijs!

Vir Reverende et Humanissime,

Citius hinc Tibi et valetudinem et curriculum studiorum meorum nunciare cum vix ausus fuerim, veniam eius merear, qui Musas Tuas, quas theologia professio integras sibi tribuit, obstrepere, et otio tuo abuti nolui, Habet et Reverentia tua, quod eius metum et meam infantiam obtenderem, sed facilitas Tua, praesenti mihi non sine fructu perspecta, non relinquit ea perpendere. Restat igitur, ut haec aequi boniq́ consulas, quae non nisi ad animum meum gratitudinis debitae memorem testandum promo, quem diam ardentibus votis pro incolumitate tua in ecclesiae emolumentum, verbiq́ divini collationem sinceram, serium, fervere, cura, quâ me antehac suscepisti, suggerent. Praesentiâ tuâ, fateor in me amando, dirigendo, sublevando, frui non licet, attamen ex scriptis tuis thesaurum legere. Hunc enim adeo in Dei Verbo nobis recludis, ut operam hanc eximiam et necessariam non satis celebrare et admirari queam. Sinc quod res et animus est ingenuè dicam et estimem, quae in Methodo et illustrationibus tuis sit soliditas, ubertas, et veritas tum detectio, intimè ad mysteria penetras, tempora, Christo verè digna et indigna notas, certè unum locum interpretando aditum reseras ad innumera, ut attento et sedulo lectori analogia magnae et multae sapientiae in SS pateat. Sed ne pro dignitate librorum tuorum encomium scribere videar, os, quod prae fertili tuo pastu saepius exundat Deo benedicente, vix cohibeo. Idem mecum nuper in transitu per Wormatiam passi sunt D. Dalenius et Lazarius olim etiam ab ore tuo pendentes, quos Deo providente videre colloquiq́ contigit. Avidè illi de valetudine et prosperitate Tua ex me audivere, commentarium in 12. maximo desiderio sibi gratulati, et quid posthac prae manibus futurus esses, requisivere. Nulli nostrum verba sufficere ad fructum depraedicandum, quem inde haurimus nobis exhibuisti. Faxit Deus, impleatq́ te Spiritus sui donis, ut publico usui demereri nunquam cesses. Dno Buxtorfio, uti commiseras, Francofurto, per famulum Elzevirij traditum exemplar, huc mecum latum, obtuli, autorisq́ donum, humanissimumq́ salutem significavi, quam vicissim propinat proximis mediis cum communicatione suorum Anticriticorum sacrorum, literas daturus. Academia gaudet praeter cum Dno Zwingero, Beckioq́ theologis indigenis, viris doctissimis Exercitiorum disputatoriorum, ut et exterae iuventutis magna raritas. Gaudeo me commodos nactum penates, apud Ecclesiae gallicanae ministrum hic oriundum, virum familiaritate et humanitate quotidie sibi devincientem, eius bibliotheca me instruo, sed prae tuis quos mecum habeo libris multorum theologorum, verba copiamq́ anticipantium, fastidio. Afflictam tibi familiam ut et D. Hermannum aegrè decumbentem, tristis sane et compatiens audio à D. Wyckero, (qui à me salvecat) laetus tamen de spe jam recuperatae sanitatis, Deus qui vestras oras infausto bello visitat, privatas domus non praeterit et tuam patientiam in cruce fidei alumna probare, et tibi de ea constare voluit. Prosperiora pro rerum vicissitudine à Deo omnibus votis et precibus auguror.

[illegible]

quid patriæ nostræ facessat Oldenburgius, Ebeu ad vos propior nuncius referet, [illegible]
vatorem proscriptione in conventu Pragensi ab Electoribus, (uti mihi fert animus) unicè [illegible]
Oldenburgiæ faventibus, procuratâ savire, amicam oblatam compositionem, iniquis petitis [illegible]
armis possessionem tentatam, imò prima impetitione jam telonium obtinere. Pejora [illegible]
arcebat contra nos decernentur in præsentibus comitijs, quæ ab Imperatore Electores ad [illegible]
electionem sollicitante, impetrabuntur, Ordinum contradictio hac tempestate vix ulli val[illegible]
Deus velit patriæ salutem! Vale cum tota familia et D. Hermanno, quibus à me [illegible]
salutem, De Augustino, quod necesse fuit tibi referre, et Dominum Wesselum [illegible]
Dabam Basileæ 5 Calend. Febr. M.DC.LIII. Tib. Devotissimus

Franciscus Koie.

Admodum Reverendo et clarissimo
Viro Dn. JOHANNI COCCEIO
SS. Theol. Doctori et Professori
celeberrimo, fautori meo
honorando

Leidæ.